



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVII. Gregorii Papae I. Ad Libertivm Praefectvm Siciliae. De praesumptione Nasae Iudaei, qui altare sub nomine beati Heliae construxerat, & de mancipiis Christianis comparatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

adducere, vt causæ eius qualitas, quam contra ecclesiam Calaritanam habere dignoscitur, interius trutinata, legalem valeat finem accipere. Præterea quoniam aliqua nobis de persona Epiphani presbyteri facinora nuntiata sunt, necesse est vt diligentius cuncta perscruteris, & seu mulieres, cum quibus perisse dicitur, seu alios quos de causa eadem scire aliquid senseris, huc pariter festines adducere, quatenus ecclesiasticæ districtioni liquide possint aperiri quæ vera sunt. Hæc vero omnia ita efficaciter vtrique curabit adimplere, vt nulla vos de neglectu culpa respiciat, scientes ad vestrum omnino pertinere periculum, si hæc nostra quoquo modo fuerit lentata præceptio.

Ext. de rest.  
& atreit.

## EPISTOLA XXXVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LIBERTINVM PRÆFECTVM SICILIÆ.

De præsumptione Nasæ Iudæi, qui altare sub nomine beati Helix construxerat, & de mancipiis Christianis comparatis.

*Gregorius Libertino præfecto Siciliae.*

Ioan. diae.  
lib. 4. c. 44.

**A**B ipso administrationis exordio, Deus vos in causæ suæ voluit vindicta procedere, & hanc vobis mercedem propitius cum laude seruauit. Fertur siquidem quod Nasas quidam sceleratissimus Iudæorum, sub nomine beati Helix altare punienda temeritate construxerit, multoque illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit. Sed & Christiana, vt dicitur, mancipia comparauit, & suis ea obsequiis ac utilitatibus deputauit. Dum igitur seuerissime in eum pro tantis facinoribus debuisset vlcisci, gloriosus Iustinus medicamento auaritiæ, vt nobis scriptum est, delinitus, Dei distulit iniuriam vindicare. Gloria autem vestra hæc omnia districta examinatione perquirat, & si huiusmodi manifestum esse repererit, ita districtissime ac corporaliter in eundem sceleratum festinet vindicare Iudæum, quatenus hac ex causa & gratiam sibi Dei nostri conciliet, & his se posteris pro sua mercede imitandum monstret exemplis. Mancipia autem Christiana, quæcumque eum comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legum præcepta sine omni ambiguitate perducite, ne,

Grat. dist.  
54. cap. 13.



quod absit, Christiana religio Iudæis subdita polluatur. Ita ergo omnia districtissime sub omni festinatione corrigite, vt non solum pro hac vobis disciplina gratias referamus, sed & testimonium de bonitate vestra, vbi necesse fuerit, præbeamus.

EPISTOLA XXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS CORINTHIOS.

De Hadriano episcopo, qui cum suis accusatoribus episcopis in gratiam redierat.

*Gregorius vniuersis episcopis Corinthiis.*

**D**ESIDERII nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratia eos quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegendes, agnouimus quod hi qui contra Hadrianum fratrem & coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate latitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt indiscussa remanere non patimur, sedis nostræ diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea quæ audiui-  
Ioan. diac.  
lib. 4. c. 32.  
 mus dissimulare nullatenus debeamus; præsertim cum accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis: hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne forlasse eorum sit comparata concordia, quæ si, quod absit, non ex caritate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonicè, reuelante Deo, mala, si quidem vera sunt, rescare præcedentia festinamus; commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.